Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2191

Quelle:
Copyright:

librorum. Et Capitulorum libri egregij de vita chriſtiana appellatur. Qui liber editus eſt per venerabilem et ſingulariſſime doctrine virum fratrem. Symonem de Caſſia. Ordinis fratrum heremitarum ſancti Auguſtini. Et nota, quod auctor huius libri de hac uita migrauit antequam librum totaliter ut preſumitur compleuiſſet uel ipſum correxiſſet. Sed eius miniſter frater Johannes de Salerno eo mortuo pecias et carthas quas in eius archis reperit collegit. Et appoſuit ad illa que auctor iam in ſcripta redigerat. Et iſtam tabulam compilauit.

DLXXVII.

46 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 264. praecedenti per omnia geminus continet *Libros* VI. *poſteriores de Vita Chriſtiana Simonis de Caſſia*, et ſic orditur: *Incipit liber Nonus de virtuoſis et pro virtute ſermonibus domini ſaluatoris* &c. Ad calcem *Libri* XIV. et *ultimi* legitur: *Explicit liber de vita chriſtiana editus per Reuerendum fratrem Symonem de Caſſia ordinis fratrum Heremitarum ſancti Auguſtini. Anno* M° CCCC°. XXXIX. Claudunt opus *Rubricae* Capitum, ſed imperfectae. Deſideratur itaque in Codice noſtro *Liber* XV. qui in editione principe *ſ. l. et a. f.* ſic inſcribitur: *Incipit liber quintusdecimus de iuſticia chriſtiana*, Capitibusque XLVI. definitur, et hoc epiphonemate terminatur: *Expliciunt vndecimus duodecimus terciusdecimus quartusdecimus et quintusdecimus libri de geſtis domini ſaluatoris. Quos edidit diuini flaminis doctor Symon de caſſia: ordinis heremitarum beati Auguſtini epiſcopi.* Simonis hujus proſapia Fidati, patria Umbri, vitam et ſcripta perſequitur *J. Felix Oſſinger* in *Bibliotheca Auguſtiniana Ingolſt. et Aug. Vindel.* edita 1768. *pag.* 214. f. Fallitur tamen in eo, quod Opus noſtrum a Simone non *latine* ſed *italice* ſcriptum autumet, inductus a *Catalogo Riccardiano*, cujus *pag.* 354. occurrit: *Simone da Caſcia Ordine della Vita Criſtiana.* Cum enim ordo iſte in Codicis titulo dicatur *Compilato — intorno agli anni Domini* MCCCXXXIII. *quando ſtava in Firenze predicatore*, noſtrum vero Opus inceptum ſit Romae *Anno Domini* MCCCXXXVIII. ut ſupra vidimus, patet, *Ordinem* illum italicum ad ſummum Operi noſtro latino materiem et anſam quandam praebuiſſe. Quod ſi ex collatione confici poſſet, *Ordinem* illum *Bibliothecae Riccardianae* eundem eſſe cum *Simonis de Caſſia Expoſitione ſopra evangeli — Impreſſe in Firenze per Bartholomeo di Franceſco de Libri* — MCCCCLXXXXVI. f. ſequeretur ipſum etiam *Ordinem* nonniſi verſionem eſſe ex Latino. F. enim *Guido Expoſitionis* editor in Praeloquio fatetur, ſe Expoſitiones Simonis *Vulgarizare*, i. e. in linguam vernaculam traducere. Inclinat in hanc ſententiam etiam *Jac. M. Paitonus* in

Biblioteca